



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 4. Deliberatum hac de re in Senatu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

vocabat, quæsito obtentu, quod Guisios, ne seditionem molirentur, continere pararet; ast his copiis vix Parisios delatis mox primæ eo tendebant curæ, ut de opportunis infestum, ac diu agitatum consilium exequendi mediis ageretur, ac Protestantium sæx ex universo Regno penitus exterminaretur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

§. IV.

Deliberatum hac de in re in Senatu.

Varia erant opinantium sententiæ in secretiori Senatu, qui præfente ipso Rege inter Reginam Matrem, Andegavensem Ducem, aliosque exploratæ fidei Viros hac de re habebatur: quippe nonnulli ita perorabant: „præprimis „e medio tollendus est Colinius; hoc „enim unicum erit medium, cujus ope „cuncti Protestantes eliminari poterunt, „nam dum hi ipsius necem a Guisiis „fuisse paratam credent, abs dubio „mox ad arma convolabunt, eo facilius „opprimendi, quo numero potentiores „sunt Catholici: si vero huic consilio „optatus deesset successus, saltem probrum hujus facinoris, ex quo Rex „haud parum utilitatis capiet, in Guisianæ Familiæ Viros rejicietur, iique „facile ad officium redigi poterunt, utpote æmulis destituti; de Protestantibus

A 3

„bus

Sæcul. XVI.
A.C. 1572.

„bus vero Principibus, [quos Rex suæ
„potestati subjectos habet, minime
„dubitandum, quin Rex illos, quam-
„primum perverſis conſiliariis ſeſe orba-
„tos cernent, a ſuis erroribus aver-
„tere, atque ad veram Religionem, &
„pristinum obſequium revocare poſſit. „

Hæc coram Rege proponerentur :
aſt in Reginæ Matris Senatu res poten-
tius urgebatur, atque Senatores hunc
in modum pronuntiabant : „Non modo
„Montmorentius, & Architalaſſus e me-
„dio tollantur, ſed etiam Guifſii Prin-
„cipes, quibus Regina tanquam gravi-
„ter, & multiplici a ſe olim offenſione
„læſis, nequaquam fidere, aut parce-
„re debet, occaſione capta trucidentur ;
„ſi enim Proteſtantes Colinii mortem
„ultum irent, ipſi una, & Momoran-
„tii, tanquam in eo conſictu viribus
„inferiores a plebe opprimentur : inter-
„ea vero Rex contracto ad Luparam
„milite numeroſo, quem penes ſe ha-
„beat, tanquam ſpectator otioſus perſi-
„ſtere poterit : demum vero cædendo
„fractos, ac debilitatos ipſe etiam poſt
„rem conſectam, perinde ac ſi ſine juffu
„ſuo, & per ſeditionem arma ſumpſiſ-
„ſent, occaſione inde ſumpta eos inva-
„det, atque ad unum omnes, unaque
„proceres tanquam his, aut aliis ad-
„dictos interfici jubebit. „

§. V.